



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XXXVIII. Bononien. donationis. De eadem materia concursus fœminarum, Et qua[n]do masculinum concipiat fœminum, necnè, Et in specie, an vocatis filiis nascituris, veniant fœminæ, si ex filiis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

etiam, ad quem inducta sunt, quoniam retorque-
rent in odium masculorum, illos gravando in
propriis portionibus, atque deferrent feminis ma-
jus emolumentum, quam obtinere debuissent, si
statuta non adessent, vel ipsæ masculi fuissent, quod
utique est absurdum.

Ut in proposito habetur deductum in Romana de
Capranica sub titulo de dote discurs. 35. & in decisio-
nibus in ea causa editis coram Roias, quod scilicet
quamvis femina ex beneficio Auth. res que Cod.
communi. de legatis, concedatur jus obtinendi sub-
sidiariam congruam dotem ex bonis fideicommissi,
Attamen si quantitas bonorum ac numerus persona-
rum facta repartitione non patiantur detractionem
illius dotis, que attento more regionis & qualitate
personarum esse congrua, aliud pretendere non
potest, nisi quantum importaret ejus portio, si fuisset
masculus. ne detur absurdum, ut sexus femi-
ninus exclusus ac minus dilectus melioris esset con-
ditionis, quam masculinus vocatus ac prædilectus;
Ponderando etiam, quod apud Eufar. alios referen-
tem d. quasi. 379. ac etiam q. 311. in proposito ex-
clusionis feminarum sive istius ordinis per prius &
per posterius, etiam in fideicommissariis successio-
nibus ob hujusmodi statuta feminarum exclusiva,
proceditur cum terminis successione ab intestato,
quibus attentis mulier aliud pretendere non potest
nisi id quod sibi per statutum ablatum fuit, ut pon-
deratur apud Burat. d. decis. 930 num. 13. Uade prop-
terea tunc in defensionis causæ, ac ætatis ardore,
sicuti credebam motivum verum & solidum, ita
parum probabilem credidi resolutionem deferen-
tem integram successione jure cujusdam reci-
proca.

Verum deinde maturius reflectendo ad verita-
tem, justam censui resolutionem, quodque dicta fe-
mina, vel nihil pretendere posset, vel totum obti-
nere deberet; Nihil scilicet, quando vocatio non
haberet tractum successivum, neque contineret ex-
pressam vocationem masculorum & feminarum,
sed solum vocaret genus utriusque sexus complexi-
vum, puta filios vel conjunctos &c. Tunc enim uni-
ca est successio unico tempore seu momento effe-
ctum foriendi tanquam per speciem successione
ab intestato, dum non adest ulterior substitutio-
nis progressus, & consequenter ubi statuta sunt
simpliciter exclusiva, femina simpliciter exclusa
perpetuo remanet talis, neque cessantibus masculis
reintegratur, nisi ubi statuta non simpliciter sed
temporaliter tantum excludunt, ut est Statutum Pe-
rusinum de quo agunt dictæ decisiones coram Burat-
to & Roias, quoniam regula textus in cap. cum cessan-
te, ut cessante causa cesset effectus, non intrat, quan-
do effectus est jam consummatus, ut in sua materia
sub tit. de success. ab intest.

Ubi verò agitur de fideicommissio successivo, ex-
pressam continere vocationem tam masculorum
quam feminarum, tunc inesse videtur vocatio to-
tius descendentiæ tam masculinæ quam femininæ
cum dicto ordine prælationis, tanquam per reci-
procam ita in omnibus simpliciter inductam, juxta
firmata in hujus causæ decisionibus, Et hic erat ca-
sus, cum vocatio esset omnium filiorum, nepotum,
& descendentium cum expressa vocatione tam ma-
sculorum quam feminarum per speciem fideicom-
missi successivi ac reciproci. Verum renunciatio in-
anes reddidit istas questiones ac decisiones, ut
in hac eadem causa sub dicto tit. de

Renunciatio.

Carolin. de Luca de Fideicommissis.

BONONIEN. DONATIONIS

PRO

HOSPITALI PAUPERUM MEN-
DICANTIUM BONONIÆ.

CFM

VIRGINIA DE FURLANIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia concursus feminarum,
Et quando masculinum concipiat femi-
ninum, nec ne; Et in specie an vocatis fi-
liis nascituris, veniant feminae, si ex fi-
liis jam natis, vocati sunt solum masculi,
feminae verò neglectæ, An ex hoc resul-
tet argumentum, ut masculinum non
concipiat femininum. Et quid in disposi-
tione inter vivos.

SUMMARIVM.

- 1 **F**acti Series.
- 2 In ultimis voluntatibus regula est, quod mas-
culinum concipiat femininum.
- 3 Etiam si sint feminae noniales, & fideicommissum sit
agnatitium.
- 4 Quod non procedat in dispositionibus per contractum.
- 5 Reprobatur hæc restrictio, ac declaratur quando ea
procedat.
- 6 In donationibus contemplatione matrimonii, ubi filii
veniunt uti filii, veniunt tam masculi, quam fe-
minæ.
- 7 Regula, de qua num. 2. limitatur ex contrariis con-
jecturis.
- 8 Enumerantur aliqua conjectura, & prima, ubi femi-
nae nate, & cognita spernuntur.
- 9 De verbo aliis, vel clau. ulis, & verbis denotantibus
similitudinem, vel repetitionem.
- 10 De aliis conjecturis.
- 11 Declaratur quando spectus feminarum, que sunt
nate, & cognita inducat nec ne conjecturam, quo-
ad feminas nascituræ.
- 12 Quod absurda, & inconvenientia non curentur.
- 13 Quando femina nascitura veniant sub nomine fi-
liorum.

DISC. XXXVIII.

Bernardinus de Furlanis donavit Sebastiano ex
Dominico fratre nepoti, ac aliis ex eodem Do-
minico nascituris bona controversa cum fideicom-
missio reciproca in portione morientis absque filiis,
eisque omnibus deficientibus, vocavit ipsum si su-
perviveret, sin minus Liviam ejusdem Dominici
filiam jam natam, qua non extante vocavit Albertum
alterum ipsius donatoris fratrem; Cumque dicto
Sebastiano prædecessissent, tam Dominicus pater,
quàm

I

quàm Albertus pater, ac dicta Livia soror, eique tantum fuisset superstes Virginia altera soror post donationem nata, ipse verò moriens abique prole hæredem instituisset Hospitale Pauperum Mendicantium Bononiæ, Hinc Virginia prædicta iudicium instituit super dictæ substitutionis purificatione ad ejus favorem, Et introducta causa in Rota Bononien. reportavit favorabilem resolutionem, in quo statu dicti Hospitalis Administratores, communicatis, tam decisione desuper edita, quàm consiliis eorum Advocatorum ac sapientum, consilium petierunt pro veritate, An dictæ resolutioni acquiescendum esset, vel potius expediret causam appellationis profectui, sive honestæ concordia occasione amplecti.

In dictis autem scripturis defensorum de partibus continebatur quæstio acriter disputata, An masculinum conciperet femininum, atque sub nomine filiorum nasciturorum venirent feminae; Dicebant enim, quod licet hodie in ultimis voluntatibus, non refragante testatoris conjecturata voluntate, receptissima sit affirmativa, ut masculinum concipiat femininum, atque sub nomine filiorum veniant tam masculi quàm feminae ad notata per scribentes in l. si ita scriptum, ff. de legatis 2. de quibus *Fusar. quest. 311 Buratt. & Adde. decis. 272. 514. dec. 34. post Censal. ad Peregr. ubi ad facietatem cæteri referuntur; Quod ampliatum habemus, etiam ubi constat contemplatam esse agnationem, ac agitur de fideicommissis purè agnatiis, quoniam hæc circumstantia operativa est quoad prælationem masculinorum de agnatione, quod femininum veniat subsidiariè ac ordine præpostero ex collectis decis. 133. par. 9. rec. in Eugubina coram Duzetto dec. 837 & 853. & sapissime, atque in Romana fideicommissi de Carpiensis coram Verospio decis. 40. post Censal. ubi supra, eadem regula recepta est etiam in Monialibus, ut non desinant esse de familia & agnatione.*

Attamen insistebant in eo, quod hæc regula procederet in ultimis voluntatibus magis amplam & benignam interpretationem recipientibus, non autem in contractibus ex decis. *Seraph. 6. 4. Cavaler. decis. 557. cum aliis cumulatis per Fusar. d. quest. 311. num. 89. & per Adde. ad decis. 199. numer. 73. & sequen. par. 8. recent.*

Verum istud motivum mihi videbatur periculosum, quoniam etiam in donationibus, aliisque concessionibus per contractum inter vivos, quoties non suadet contrarium subiecta materia seu qualitas bonorum, aut interesse ipsius donatoris, verius videtur masculinum concipere femininum, atque sub nomine filiorum, nepotum, & aliorum, venire tam masculos quàm feminas ex deductis per *Gabr. dicta verb. signif. conclus. 6. num. 97. Mantica de tacit. lib. 3. tit. 21. num. 10. cum sequen. & dec. 96. num. 2. ac habetur infra in Faventina disc. sequenti, & alibi supra præsertim in Placentina disc. 24. ubi advertitur dictam limitationem, de qua Seraphinus & cæteri supra allegati, percutere duos casus, Vel ubi scilicet agatur de concessione feudali vel emphyteutica regulariter ac de sui natura masculina, ut sunt præsertim concessionibus, quæ sunt de bonis Ecclesiæ; Vel ubi admixtum est interesse ipsius donatoris ejusque successorum ratione pacti reversivi, sive etiam interesse tertii, ut exemplificari solet in concessionibus franchitiarum & immunitatum ab oneribus, ut præsertim advertitur supra in d. Placentina, & in aliis; Atque hoc jure præsertim in Ro-*

ta & Curia vivi videtur, quod scilicet fideicommissa pariformiter regulentur, non curato, an illa contractus vel per ultimas voluntates ordinata ut præsertim habemus in tot decisionibus editis *Vrbinate. pecuniaria, & in Romana donationis de d. danis, sub tit. de donat. in quibus occasione agitur an sub donationibus contemplatione matrimonii veniant filii uti filii jure cujusdam impliciti fideicommissi, quæstio esse consuevit super ipsa instantia vocationis filiorum absque qualitate hereditaria, sed ea posita, non dubitatur, quod veniret etiam feminis, quas in dictis causis tantum superesse casus præbebat.*

His tamen non obstantibus in hac facti speciei ejus particularibus circumstantiis dicebam non probabiliter prætendi posse contrarium, cum ipsa recepta sit limitatio dictæ regulæ ex contrariis etiam conjecturata voluntate testatoris, etiam per *Buratt. & Adde. in dictis decisionibus 172. 414. 742. & quotidie, unde propterea juxta generalis usum seu naturam totius materiæ, quæstio redigitur magis ad factum quàm ad jus, an scilicet turet dicta limitatio nec ne, quamplura studenda debantur.*

Primo siquidem & principaliter, ex eo quod donator sprevisset dictam Liviam ex eodem Dominico jam natam sibi que cognitam nullam habentem demerentiam personalem, ideoque nullam probabilis videbatur subesse ratio, ob quam natam natam, & cognitam, ac verisimiliter etiam spernere voluerit, ac vocare & diligere natas & ignotas, erga quas nulla affectio non cadebat, ut punctualiter advertitur per *duo. fil. 21. num. 3. cujus auctoritas quamvis Constat in proposito magnificanda videtur, tamen punctualis sine speciali contradicte, habens satis probabilis rationis fomentum, sine quo consuetudo est auctoritatibus quantumvis punctualibus ac præcis nullam adhibendi fidem, fieri verò ubi agitur de Consulentiis, cum hac dictione attendendis.*

Secundo consequitivè ob illud verbum quod de sui natura & proprietate denotat limitatorem ex deductis per *Serd. eodem conf. 21. num. 14. & de consimilibus verbis vel clausulis restrictivis in his terminis excludendi femininum masculino apud Buratt. dicta decis. 272. 744. La enim argumenta, quæ deducuntur ex grammaticali significatione verborum sola & de per se me perpetuè esse soleant contemptibilia, parum ponderis, attamen rectè attendenda videantur quando sunt famulativa alterius argumenti, & conjecturæ orientis ex ipsa substantia voluntatis.*

Tertiò in idem, quia postquam donator generaliter dixerat donare Sebastiano ac aliis filiis quendam modum loquendi, qui clare habentem voluntatem præferre videbatur, dum natus expresserat in numero singulari cum dictione restrictiva, fortè ibi, quod decedente dicto Sebastiano altero filio fortè nascituro.

Quartò ex illo verbo *aqualibus*, ibi, *Sebastiano aliis filiis ex dicto Dominico nascituro aqualibus*, non enim nimium contenderetur super intelligentiâ istius verbi, An scilicet illud magis referretur esset ad aequalitatem portionum quam percutiendam attamen in recta loquutione magis perferens portionem percutere videbatur.


Et his rectè annectendas esse ponderabam conjecturas generales de per se leves, ut est illa restrictio

ex statuto exclusivo feminarum, cum quo præsumptio est testatorem voluisse se conformare, Ac etiam altera resultans ex eo quod testator masculinum vocasset per nomen proprium juxta theoricam Bart. in l. 1. de verbor. signif. cum similibus de per se non aptis conjungendis tamen cum aliis juxta consuetam regulam, ut singula qua non profunt &c.

Ad elidendam autem primam fortem conjecturam resultantem à spreto feminae jam natae ut supra, in decisione Rotæ Bononiæ magnum fundamentum constituebatur in conclusione in suo casu vera & recepta, de qua plene in dicta decis. 34. post Censal. ad Peregr. & in dicta Eugubina coram Dunozetto decis. 837. & 833. & in aliis, frequenter, quod scilicet ab exclusione aliquarum feminarum jam natarum non inferitur ad exclusionem aliarum, quæ postea nascantur; Verùm in hoc advertebam procedi cum æquivoco claro, dicta enim conclusio percutit casum, in quo testator habens masculos & feminas primi gradus, solos masculos instituat, feminas dote providendo juxta communem usum, ob majorem dilectionem masculorum, sed non exinde inferitur ad ultiores descendentes, in quibus hæc peculiaris ratio non urget ob differentiam inter unam ac alteram speciem feminarum militan-
tatem: Secus autem ubi agitur de feminis ejusdem gradus, atque in jam natis non urget demerentia, cum tunc major affectionis ratio urgeat cum natis, quàm cum non natis ut ita distinguendo pro evacuando hoc objecto advertitur apud Bernart. in supra allegatis decisionibus.

Ponderantur etiam nimium in dicta decisione aliqua absurda & inconvenientia, in quibus præcipue dicta Rotæ Bononiensis fundasse videbatur, sed jam expertus alias duas causas Bononienses de Barberis & de Amovinis, de quibus supra disc. 29. & 30. dixi istud absurdorum & inconvenientium argumentum esse parvi ponderis; Et ex his consulti tentandam esse aeam prosecutionis appellationis, incertum tamen est, quid inde sequitur sit, forsitan concordia controversiam terminavit.

Post aliquod verò tempus maturius reflectendo, mihi crevit difficultas, stante quod donator, defunctus filiis masculis dicti fratris, ipsoque fratre, vocaverat, etiam dictam feminam jam natam, priusquam ad alios gradus substitutionum procederet, istum præsertim ad favorem Hospitalis, quod ita constat subsidiariè vocare voluisse post defectum sanguinem, unde propterea præmissæ considerationes rectè intrarent, ne femina postmodum nata æqualem concursum cum dicto masculino prætere-
dere posset, non autem subsidiariè post defectos masculos pro concursu cum dicta alia femina, dum constat, quod inter natos ac nascituros differentiam constituere noluit, nisi circa prælati-
onem inter sexus.



F A V E N T I N A P R I M O G E N I T V R Æ

P R O

A N N A D E L I N I S

S E V

P A S Q U A L I N I S

C O M

U R S U L A S E V E R O L A

Casus variè per Rotam decisus.

De eadem materia concursus feminarum ad fideicommissa vel primogenia agnaticia, Et an ista qualitas contemplationis agnitionis excludat feminas necne; Et incidenter quando transactio obstat interdictis possessoris fideicommissario competentibus.

S V M M A R I V M.

- 1 **F**Acti series.
- 2 **N**on datur immisio, vel aliud remedium possessorium, ubi adest transactio, nisi ista prius sublata.
- 3 **D**eclaratur quando id procedat.
- 4 **F**emina non veniunt sub nomine filiorum, neque masculinum concipit femininum, ubi contemplata est agnatio.
- 5 **D**eclaratur quando id procedat.
- 6 **V**bi quis non est vocatus, nisi in certo casu, pretendere non potest vocationem in alio casu.
- 7 **N**on datur extensio de casu ad casum.
- 8 **P**otissimè ubi adest ratio diversitatis.
- 9 **D**e distinctione inter dispositionem conceptam per ultimam voluntatem, vel per contractum, super articulo. an masculinum concipiat femininum.

D I S C. XXXIX.

Antonius Pasqualinus ultimus de ejus familia, cupiens istam artificialiter renovare donationem, fecit ejus bonorum reservato usufructu Joanni Baptistæ de Linis, cum erectione primogenituræ in ejus filiis & descendantibus, sub onere assumendi nomen & insignia; Et quatenus dictus Joannes Baptistæ præcederet ipsi donatori sine filiis masculis, tunc ad eandem donationem cum eisdem legibus & conditionibus vocavit Philippum ejusdem Joannis Baptistæ fratrem; Sequuta morte donatoris, unde donatio plenarium sortita est effectum in dicto Joanne Baptistæ primo donatario, qui familiam renovavit, obiit postmodum iste absque filiis masculis condito testamento, in quo relicta dote Annæ filie ex primo matrimonio ac Hypolitæ ex secundo, hæredem instituit Ursulam

I 2

secun-

Cardm. de Luca de Fideicommo